# Landesbibliothek Oldenburg

**Digitalisierung von Drucken**


## Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

**Jonston, Jan**

**Heilbrunna, MDCCLVI.**


**VD18 90528921**


Illustration: Tab. VI. Vultur Baeticus Geyr; Vultur cinereus Geyr; Vultur Leporarius, Hasen Geyr; Vultur Alpinus uel aureus, Goldgeyr.


**urn:nbn:de:gbv:45:1-11068**



Visual Library




Landesbibliothek Oldenburg



d *Homerus Iliade* 2.

nino monte Galliae Aureo uiſi ſunt. Aeſtate in aprica frigoris uitandi cauſa demigrant et in Arabiae deſertis et Aegypti inter Cairum et mare rubrum planis numeroſos Bellonius uidit, quod iter illud camelorum cadaueribus plenum, paſtum ipſis ſuppeditet. *e* Agricola in ſyluis degere asſerit. Iuuenali *f* nidulantur etiam in arboribus. In Creta et alibi in praecipitiis montium mari imminentibus. Propterea Herodotus Briſſonis rhetoris pater ait, † eſſe uultures in terra altera nobis ignota eo argumento tum, quod nemo uulturis nidum conſpexerit, tum, quod magno numero repente adparent ſequentes exercitus.

e *Agricola l. de ſubterran.*
f *Iuuenal. Saty.* 14.
† *Ariſt. H. A.l.* 6. *c.* 5.

*Nutrimentum*

*Victitant* morticinis et quidem ſolis illi, qui cum aquilis, oſſifragis et accipitribus nullam cognationem habent ſui generis uolucres mortuas, ſi Herodoto Pontico credidimus, ne attingentes quidem. Viuis etiam tum uolucribus, (ruunt enim in anſeres) tum quadrupedibus illi, qui ſpurii ſunt. In *g* Creta et Heluetia agnos, hoedos, lepores, ceruorum hinnullos. In Chiele *h* Americae prouincia pecudes infeſtant.

g *Bellon. l.* 2. *de Auibus c.* 23.
h *Monard. l. de Aromat.*

*Datur quoddam genus, quod torgos et haematorrhophum dicitur.*

*Venantur* a meridie usque ad noctem, ab ortu ſolis ad illud tempus quieſcunt.

*Generatio.*

De eorum *ſexu*, *coitu*, *partu et incubatu* non conueniunt auctores. Foeminas duntaxat inter eos reperiri Aelianus, *k* Orus, *l* Philes, Tzetzes *m* et alii auctores ſunt. His aduerſae auſtro uolantes uel, ſi auſter non ſpiret, ad eurum uentum oris hiatu ſe pandunt. Spiritus uenti influens intra quinque dies, quibus nec cibum nec potum capiunt, ipſos implet. Tertio a conceptu anno non oua, ſed pullos parere geoponicorum ſcriptor Philes et Simocattus produnt, intra centum et uiginti dies oua deponere Orus et Tzetzes. Ariſtoteles *n* et *o* Plinius nidificare ſcribunt. Niphus nidum in Italia uidit. Ille bina complurimum oua ponere reliquit, hic ex Vmbricio aruſpice tria. De tempore partus nihil determinant, hoc interim a diuo Hieronymo proditur, uulturem, cum coeperit oua edere, quippiam ex Indico tractu adferre nucis inſtar intus habens, quod moueatur ſonumqne ſubinde reddat. His ueritas ſubſcribere uidetur; attamen cum aquilae, oſſifragae et uultures, ut ex Ariſtotele et Plinio palam eſt, promiſcuo coitu inter ſe utantur, facile ex diuerſarum ſpecierum auibus tertia ſterilis, ut ex equa et aſino mula generari poteſt, quae ob ſimilitudinem cum uulturibus, quam aquilis maiorem inter illos potius collocetur.

i *Aelian. H. A.l.* 2. *c.* 46. k l. 1. *Hierogl.*
l *Phile de propriet. Animal.*
m *Tzetzes Chil.* 12. *c.* 439.
n *Ariſt. H. A.l.* 6. *c.* 5.
o *Plin. H. N. l.* 10. *c.* 6.

*Educatio.*

*Educationem* ſi uideas, apud *p* Orum centum et uiginti diebus pullis nutriendis inſumit, alimento deficiente femoribus ſuis roſtro uellicatis ſanguinem ciet ipſisque ſugendum praebet. Apud Albertum uero unguibus eos uulnerat et de ſuperfluo ſibi cibo paſcit.

p. *Orus l.* 1 *Hieroglyp.*

*Aetas.*

Extendit *aetatem* ad *q* centeſimum annum.

q. *Ambroſ. l.* 1. *Hexaemer. l.* 5. *c.* 20.

Quantum ad *facultates et actiones animales*, oriente ſole in occaſum, occidente in ortum proſpicit, ut apud Orum extat. Non ultra maria tantum, ſed per quingenta *r* etiam millia paſſuum cadauera odoratur, ſeu quod inſtrumenti ſit exquiſiti et ſicci, ſeu quod copioſa ab integris quandoque exercitibus exhalatio ſit, ſeu quod eadem conglobata uentis eodem deferatur.

*Iſidor. Origin. l.* 12. *C.* 7.
*Viſus.*
r *Thom. Aquin. de Animal.* 2. *Comment.* 97.

*Volatus.*

*Mouentur* tarde propter corporis molem et uolant turmatim.

*Ingenium.*

*Ingenium* exinde colligas, quod regiones frigus euitaturi mutent. Aegypto non minus, quam ciconiae aduenae, quod ad idem cadauer, a quo ſatiati ſaepius receſſerunt, identidem redeant et expeditos ad bellum exercitus praeſentione quadam conſequantur ac, ut aliqui addunt, biduo triduoue, imo ſeptenis diebus ante ea loca circumuolent, in quibus cadauera futura ſunt, quod domi cadauera *s*

s *Nicander in*